DE
GENESI RHEUMATISMI NONNULLA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

SUMMORUM IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORUM AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORUM CAUSA

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLX.

PUBLICE DEFENDET

EDUARDUS VAN ACKEREN

RHENANUS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

J. B. WEILER, D. MED.
C. PELMAN, D. MED.
C. REMACLY, D. MED.

BONNAE

FORMIS FRIDERICI KRUEGERI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

M. E. A. NAUMANN

REG. A CONSIL. MEDIC. INTIM., EQUITI ORD. AQ. RUBR. IV CL., MED. ET CHIR. DOCTORI. MEDIC. PROFESS. PUBL. ORDIN., INSTITUTI MEDICI CLINICI ET POLICLINICI IN UNIVERSITATE FRID. GUILELM. RHEN. DIRECTORI, COMPL. SOCIET. SODAL. ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

I.

DE VI AC NATURA RHEUMATISMI.

Morbum aliquem quisquis est perscripturus, omnium primum hoc agere debet, ut quam habeat sedem et extensionem quaeque eius sit natura, plane perspiciat atque cognoscat. Quod quum in omni disceptatione medica tum praecipue in rheumatismo necessarium esse existimo, de quo morbo plurimorum virorum eorumque doctissimorum summa est dissensio. Illis vero non adnumerandi sunt complures viri docti, qui rheumaticam affectionem (ut iam cl. Clarus [1]) quondam conquestus est) ex quorundam modo symptomatum unice pathognomonicorum praesentia statuant et definiant, omni studio de natura passionis posthabito et neglecto. Verum eorum tantum rationem habebo diligentiorem, qui de hac re accurate atque cum doctrina exquisita disputavere. Hi tamen ipsi, ut supra dictum est, inter se minime consentiunt. Nam alii rheumatismum inflammationem habent; alii vero morbum hunc, quippe cui signa inflammationis verae tam saepe desint, singulare quoddam inflammationis genus esse putant. Sunt quoque, inter quos plurimos pathologorum humoralium inprimis nomino, qui naturam eius in sanguinis

---

[1]) Annalen des königl. klinischen Instituts am St. Jacobshospital. Leipzig 1812. p. 155.

quae dicitur acrimonia ponant. Tum recentioribus inprimis temporibus inveniuntur, qui rheumatismum a consideratione pathologico-anatomica exorsi singularem quendam morbum texturae serosae tantum proprium putent, dum alii unamquamque corporis nostri texturam illi subiectam esse arbitrantur. Denique alii naturam huius morbi in electricitate corporis perturbata consistere volunt; nec desunt, qui rheumatismo et arthritide promiscue habitis nullam inter ea interesse discrepantiam existimaverint. Has sententias diversas postea, ubi de genesi rheumatismi agetur, accuratius examinabo quibusque de caussis minus aptae videantur, demonstrabo.

Recentiore demum aetate ad interpretationem naturae sedisque rheumatismi ex omni parte idoneam ac probabilem pervenimus, cuius rei laudem viro praeclaro ac praeceptori dilectissimo doctissimoque E. M. A. Naumannio [1]) haud dubie debemus. Nam quum iis, quae antea de hac re coniiciebantur, acquiescere nullo pacto possemus, is causas inprimis unicuique rheumatismi generi ac speciei proprias inquisita cum ingenii acumine eximio atque observatione spectata rationis, qua una corpori humano detrimento esse posset, primus certam protulit definitionem ipsamque huius morbi vim et naturam tamquam crassis adhuc circumfusam tenebris evolvit atque illustravit. Eum Eisenmannius secutus est. Utrique rheumatismi origo ex perfrictione, id est e vice temperationis repetenda videtur. Quum vero ille sententia Stollii „nullum esse viscum, quod non subinde rheumatismo vexetur,“ probata, alterum fere morborum par-

---

[1]) H. E. Naumann, Ergebnisse u. Studien auf der medizinischen Klinik zu Bonn. Bd. I u. II. Leipzig 1858—60.

[2]) Die Pathologie und Therapie der Rheumatosen in genere. Würzburg 1860.

tem in numero rheumatosorum ponat, Naumannius angustioribus hunc morbum finibus limitandam esse existimat. Cuius auctoritatem equidem secutus ad opinionem Eisenmannii refellendam nonnulla afferam.

Omnis qualiscumque frigoris in pathogenesim 'efficacia ad hanc triplicem rationem referri debet: Primum morbum procreare potest, qui aliam caussam habet nullam cuiusque origo aliunde deduci nequit, isque morbus est rheumatismus. Tum fieri potest, ut morbam gignat, qui tamen aliis quoque interdum rebus efficitur. Denique morbum ex ea profisci coniicias, cuius initia ac veluti principia in corpore iam exstant, licet variis ex caussis oriri possit. Quod pertinet ad rationem alteram vel tertiam, quae quidem temperatio minor in oriundis morbis aliquid faciat momenti, mala inde profecta in numero morborum perfrictione effectorum non esse ducenda, (id quod voluit Eisenmannius) primo quoque obtuitu unicuique vestrum perspici puto. Huius rei ut exemplum afferam, catarrhus membranarum mucosarum differentia quidem temperationis sola procreari potest; tamen aliis plerumque caussis aut mechanicis aut chemicis eum nasci equidem crediderim. Unde apparet, catarrhum ad morbos perfrictione effectos nequaquam pertinere; illud tantum forte concedatur, genus quoddam huius morbi nulla insuper ab aliis differentia inprimis perspicuum frigore interdum effici.

Cui rei ut alterum exemplum addam, vice temperationis pneumoniam nonnunquam prorumpere bene scitis; attamen saepissime eam ex aliis caussis profectam invenietis. Nam ut pneumonia existat, organismum eo in statu versari necesse est, qui caussis quibusdam plerumque nobis adhuc inexploratis aut tellurico-atmosphaericis aut ipsi corpori pro-

priis efficitur, id est in eo, in quo sanguis est hyperinoticus.[1]) Neque igitur hoc morbi genus in rheumatosis collocandum est. Unde satis liquet, morbos rheumaticos multo angustioribus finibus contineri, quam voluerit Eisenmannius. Equidem sententiae Naumannio accedo, quae ita fert, ut rheumatismum non nisi vice temperationis procreari posse putet. Hac enim efficitur, ut cutis, quamvis ipsa morbo nondum sit affecta, organis sub eam substratis tegumentum, quod temperaturae moderetur, idoneum praebere desinat. Quod quanam ratione fiat quomodoque symptomata rheumatismo propria, quae deinde sunt conspicua, interpretari debeant, post hac in parte disquisitionis meae genetica demonstrabo.

Iam vero rationem modumque nutritionis et assimilationis qualem Naumannius descripsit, paucis exponam. Eius de statibus illis organismi sententia egregia ac sagacissima non solum ab eis, quae ex usu pathologiae vel physiologiae percepimus, non abhorret, sed etiam, dum veram eius naturam exigas, omnes qualescunque status pathologicos illustrabit. Qua re eam ob caussam supersederi non posse existimo, primum ne in hoc libello plura inveniantur, quae intellectu forte careant, deinde ne eadem pluries repetere cogar. Eis, qui huic rei perscrutandae atque cognoscendae inprimis operam dabunt, nonnulla laudo Naumannii scripta,[1]) quibus opinio illa accuratius exponitur ac confirmatur.

Nutritio et assimilatio non solum ex caussis chemicis vel physicalibus, verum etiam ex nervis pendent. Substantia nervorum in cerebro tantum oritur. Inde per singulas nervorum fibras paullatim in peripheriam succrescit. Ubi ad

---

[1]) Naumann l. c. Bd. I.

[2]) Id. ibid. II.

[3]) Naumann, Kl. Ergebnisse und Studien Bd. Bd. I u. II und deutsche Klinik 8 Mai 1858. Nro. 19.

eam partem pervenit, id est in fibrarum finibus periphericis, fibris adhuc integris liquescit atque in liquorem intercellularem transit. Hac efficacia vera, quam habet substantia nervorum in liquorem illum, hic veluti fecundatur atque, ut loco sit nutritus aptus redditur. Tum in substantiam texturae ingredi potest. Fecundationis vero illius vi atque efficacitate paullatim sublata nova materia in eius locum succedat necesse est. Quidquid substantiae huius inutile evasit, sub specie fibrini lymphatici in liquorem intercellularem recedit, ex quo fibrinum sanguinis oritur. Nec adversantur haec observationibus, quae nuper a Virchowio sunt propositae.

II.

QUANAM RATIONE RHEUMATISMUS NASCATUR.

Nasci rheumatismum ex aeris temperatura mutata iam ex eo tempore, ex quo huius morbi naturam accuratius gestiebant perspicere, plurimorum virorum doctorum fere constans opinio fuit. „Calefacto, iam ait Boerhavius, huius morbi enumerans caussas, corpori subito admissum frigus,“ ad quem locum eiusdem commentator van Swieten haec adnotat: „Nulla inter caussas rheumatismi frequentior, nulla validior.“ Sydenham haecce de eo disputavit: „Hac ut plurimum occasione rheumatismus nascitur; aeger scilicet sive exercitio aliquo vehementiori sive aliquo modo excalefactus mox repentinum frigus admisit.“ Qua de re quum paene consentiens virorum doctorum sententia sit, de ratione modoque, quo aeris temperatio mutata corpori noceat

---

[1]) G. v. Swieten, Commentaria in H. Boerhavii Aphorismos. Lovani 1775. Tom. X. § 1491, pag. 371.

Siehe ferner: J. H. Cloquet et C. Giraudy: Ueber die Gicht und den Rheumatismus. Deutsch von C. G. Köch. II. § 3. Ilmenau 1826.

Thomas Cox: Ueber den acuten Rheumaitsmus und dessen Metastasen. Deutsch von demselben in demselben Band § 4.

J. Bouillard: Nouvelles recherches sur le Rheum. artic. aigu. Préface. Clarus l. c. pag. 166.

et rheumatismi affectiones afferat, dissentiunt maxime. Atque censent plerique, extingui temperatura subito mutata cutis functionem, ita ut partes excrementales retentae redeant in sanguinem atque huius quam dicunt acrimoniam efficiant. Dzondius [1]) has partes secernendas nomine a vocabulo graeco σκωρια deflexo scoras, irritationesque et inflammationes inde profectas scoricas appellavit. Ceterum hic idem nervos etiam temperatura subito mutata hebetari existimat. In naturam et rationem partium illarum accuratius Toddius [1]) inquisivit, cuius ea sententia est, ut acidum lacticum in sanguine aggregari et ita rheumatismi causam existere opinetur. Quibus sententiis artis chemicae organicae progressus novissime facti non potuerunt, quin plurimum afferrent incrementi. Opiniones tamen omnes proferre, ab hoc loco esse alienum puto, praesertim cum quam falsae sint et a sana naturae corporisque humani investigatione quantum abhorreant, ex hoc libello sperem unumquemque esse intellecturum.

Illis enim de caussis rheumatismi sententiis iam primum adversatur, quod brevissimo post perfrictionem corporis spatio rheumatismum exoriri scriptores de hac re paene omnes testantur. Quin etiam extempore ac confestim interdum apparet, ita ut acrimoniam illam rheumaticam tam celeriter in sanguine exortam esse nullo modo possis existimare. Nam in vasa certe capillaria illae deberent redire et inde in cursum sanguinis regularem converti, quod tam brevi temporis spatio fieri non posse, nemo est quin videat. Tum, quomodo fiat, ut morbus de loco in locum interdum transsiliat, ea ex re intelligi non potest. Quod enim Dzondius vasorum capillarium connexum idoneum huiusce rei habuit

---

[1]) Dzondi, Was ist Rheumatismus und Gicht? Halle 1820.

[2]) Rob. Bentley Todd, Vorlesungen über Gicht und Rheumatismus. Deutsch von Fr. J. Behrend. Leipzig 1844.

caussam, non est cur refellam. Tum autem ne verum quidem est, quod vulgo dicunt, transspirationem per rheumatismum esse impeditam et partes excrementales non posse eliminari; quin etiam largior huius functionis plerumque copia est neque tamen laboranti quidquid affert auxilii. Partium excrementalium praeterea insuctionem in sanguinem in corporis organismo prorsus aliud quoddam scimus efficere, quippe cum eum corporis statum alliciat, qui functione nervorum paene sublata, typho quam rheumatismo propior esse videtur; hunc autem in organi centralis nervorum hyperaesthesi quam maxime cerni infra videbimus. Quod autem morbus subito refugit quasi et decedit, nullum inesse in sanguine acrimoniam clarissime ostendit, quod quorsus abierit, nemo est qui dicat. Experimenta denique physiologica quam plurima functionem cutis sive prorsus abiectam, sive aliqua ex parte conturbatam morbos consequi a rheumatismo prorsus alienos docuerunt. Quibus ex caussis eorum falsam esse opinionem existimo, qui rheumatismum nasci ex partibus excrementalibus in sanguinem redeuntibus putaverint. Quam ob rem viri plerique doctissimi et in omni genere nostrorum praecellentes, Clarus, Schoenlein, Pfaff, alii opinionem de hoc morbo susceperunt prorsus diversam. Est enim Alexandri a Humboldt, viri praeclari naturaeque post hominum memoriam investigatoris maximi observatio egregia, ab hominibus rheumaticis electricitatem veluti segregari, huiusque ut videtur sententiae inprimis auctoritate adducti viri illi docti, quum idem in hominibus persanis interdum addat repperi, tamen rheumatismum ex perturbatione aliqua electricitatis organicae repetendum esse sibi persuaserunt. Certe in exhalatione electricitas magnum habet momentum; attamen illorum de hac re sententiae repugnant quam plurima.

Iam primum homines etiam sanos electricitatem segre-

gare posse iam supra diximus. Accedit, quod ubi perfrictionem rheumatismus sequitur, non raro evaporatio in cute existit tam levis, ut eius rationem ducere non facile possis. Denique ubi experimenta huius modi institues, adeo ea condicionibus telluricis et atmosphaericis subiecta esse invenies, ut certi quiddam inde eruere nequeas, nedum disciplinae alicuius rationes in iis ponere debeas.

Ceterum rheumatismum Clarus morbum arbitratur texturae seroso-fibrosae, cuius functionem singularem quandam putat esse. In eam autem rheumatismum eandem vim habere opinatur, quam catarrhum in membranis mucosis. Ceterum inter caussas rheumatismi perfrictionem et secretiones alias, quibus cum textura seroso-fibrosa commercium est, prohibitas praecipue nominat; plurimum quoque electricitatem ad rheumatismum pertinere existimat.

Itaque quum iam pridem Clarus praeter commemoratas rheumatismi caussas ut ita dicam exteriores eiusdem quasi sedem in certa aliqua corporis textura posuerit, nuper Gottschalk [1]) anatomiae pathologicae inprimis praecepta secutus ferventissimeque tuitus, eis maxime adversatur, qui, ut caussam rheumatismi inveniant, aetiologiae praesertim rationem ducendam esse putent, neque usquam adesse rheumatissimum asserit, ubi nullae in membranis synovialibus vel serosis mutationes pathologicae conspiciantur. Et quidem membranarum synovialium affectionem pathologicam aut in hypercrinia, qua secretum normale augetur, aut in hyperaemia simplice, qua sanguis in vasis aggregatur, ponit; membranis serosis praeterea hyperaemiam exsudativam tribuit, eamque texturae mutationem in membranis synovialibus habet rheumatismo adversantem, quippe quae, ne hic amplius extendatur, prorsus prohibeat.

---

[1]) Darstellung der rheumat. Krankheiten auf anatomischer Grundlage von Dr. A. Gottschalk. Cöln 1845.

Hoc organismi conturbationes functionales ex mutationibus structurae deducendi studium, certe laude praeclarissima videtur esse dignum; at non iam in cognitione naturae corporisque humani adeo processimus, ut in hoc parva auxiliorum copia semper de hac re certi quid possimus proferre. Hoc quam non sit etiam ab rheumatismi alienum, vel inde intelligas, quod vir illustris C. E. Bock [1]), anatomiae pathologicae magister peritissimus, quippe huius morbi caussae pathologicae nusquam invenirentur, ex libris pathologicis eum removendum esse arbitratus est. Certe anatomiam pathologicam, quibus in locis dolores adesse cognoscimus, mutationibus pothologicis non conspicuis, in iis ipsis locum non posse habere, nemo est quin videat.

Attamen quum effectus sine caussa esse non possit, ad rheumatismum quoque anatomiam pathalogicam pertinere necesse est. Commutationes vero anatomicae non quidem in textura serosa vel fibrosa, verum ut postea demonstrabo, in organo nervorum centrali posita sunt. Huius autem disquisitionem accuratam quum propter earum rerum, quibus in mutationibus illis persequendis investigandisque uti liceat, paucitatem, tum ob cognitionem anatomiae, physiologiae et pathologiae nostram adhuc tam exiguam tamque imperfectam rem habeo difficillimam.

Iam si igitur rheumatismus, ut supra ostendi, neque in sanguinis acrimonia neque in electricitate organica conturbata consistit, neque in textura fibrosa vel serosa sedem habet, aliorsum nos circumpiscere debemus, quibusnam partibus natura sedesque eius ante oculos ponatur perspicueque demonstretur.

Cutis nostrae vis physiologica non solum ea re cerni-

---

[1]) Lehrbuch der pathologischen Anatomie von C. E. Bock. Leipzig 1849.

tur, ut substantias aut in corpus excipiat, aut ex eo secernat, verum etiam eo, ut temperationi, qua circumdamur, externam corpore temperet, vel ut auram nos circumfusam ita calefaciat, ut corporis temperatio damno aliquo inde impertiri nequeat. Corpori vero humano, nisi forte de statibus quibusdam pathologicis cogites, temperationem semper esse in omni condicione externa aequalem, primis artis medicae rudimentis imbutus quis est, qui nesciat? Homines sive in septentrionibus sive in meridiana terrae parte vivunt, quibuscunque aliis rebus inter se differunt, hoc habent commune, ut eadem sit corporis temperatio, quae neque aestate, neque hieme variatur.

Corpori igitur aliquid natura datum esse oportet, quo temperatio, externa innocua reddatur, eoque munere cutis fungitur. Quam cutis functionem in tanta temperationis aeris varietate esse diversissimam, perspicuum est. Aliam enim eam esse oportet in frigore, aliam in calore, aliam hieme, aliam aestate. Pendet autem quum quaelibet alia tum haec quoque cutis functio, vel aucta, vel deminuta, ex nervis, quibus temperationis compensandae veluti norma continetur. Frigoris in cutem efficaciam accuratius nobis persecuturis multa occurrent, quae sunt commemoratu dignissima.

Fines nervorum peripherici frigore usque ad gradum modumque certum in aliis hominibus vel membris corporis maiorem, in aliis minorem, excitantur, qua re cutis functio fit vegetior. Vasa enim capillaria sanguine sunt impleta, nervosque ipsos frigore in parte aliqua affectos esse ex doloribus lenibus ac pruritu quodam percipitur. Qui gradus concitationis, cuius ratio minime sibi constat, ubi exceditur, tum frigus vim atque efficaciam nervorum cutis quodammodo prohibet; quo efficitur, ut cutis in statum prorsus commutatum transeat, ideoque organis subcutaneis tegumento ac praesidio esse amplius nequeat. Sanguis e vasis capillaribus

cutis in interiora strata corporis recedit, ipsa expallescit atque corrugatur. Eodem tempore nervi quoque organorum subcutaneorum frigore afficiuntur, id quod ea ex re intelligimus, quod musculi apparent rigidi atque contracti. Haec in digitis multorum hominum distincte perspicueque observari possunt [1]).

Minori illo frigoris gradu morbus nullus efficitur. Non nisi corpore subito calefacto congestio cutis adeo augeri potest, ut perniones oriantur. Alter vero frigoris gradus mortis ipsius caussa esse potest. Quamquam eum exitum raro invenimus; plerumque enim fieri solet, ut nervorum in peripheriam vis et efficacia brevi tomporis spatio intermisso certis de caussis restituatur, affectione rheumatica pro variis frigoris effectu modo graviori, modo leniori relicta. Iam vero huiusce rei caussas accuratius inquiramus.

Constat inter omnes, corpus excalefactum in aura humida algidaque vel in venti perflatu vehementiori rheumatismo facillime affici, tum vero maxime, si laboribus defatigatum sit atque fessum. Ratio vero, qua rheumatismus corpori infunditur, haecce est:

Corpore aut laboribus gravioribus vel exercitio aliquo vehementiori — eamque caussam habeo validissimam atque efficacissimam — aut temperatione aurae maiore incalescente, functio nervorum in illa membra, quibus motus efficiuntur et in cutem admodum augetur. Cutis enim turgescit vasaque ipsius capillaria sanguine copioso implentur. Quiescente vero corpore, dum nervorum illa concitatio cessat, cutis quoque ipsa valde defervescit. Ubi igitur corpus tali modo affectum frigori exponitur, tum cutem, ut nihil ex ea re detrimenti capere posset, vim etiam multo auctiorem exercere necesse esset. Attamen tantum abest, ut functio cutis tum

[1]) Naumann, l. c. Bd. II. pag. 10.

augeatur, ut potius, id quod iam supra demonstravi, deminuatur atque attenuetur, qua re fit, ut cutis organis ipsi substratis praesidio atque tegumento esse desinat. Haec cutis defectio fibris nervorum centripetalibus in cerebrum transfertur. Organum centrale mutuo vim exercet in irritationem in se translatam, dum in reflexione musculi arrectores pili, quos Virchowius primus observavit, intenduntur, qua re corpus horrore perstringi solet. Hoc potissimum reflexu plane intelligitur, frigus primum ipsos nervos periphericos cutis invadere. Illa vero frigoris vi supra descripta corpus morbo affici nondum necesse est. Nam si cutis functionem aut nervorum in peripheriam energemate motionibus corporis vehementioribus excitato atque acuto augendum curabis, aut si cutem vestibus densis, in quas pars functionis eius deferatur, adiuvabis atque munies, tum plerumque morbus a corpore arcebitur. Ubi vero hoc intermittes, non solum impulsus fibris centripetalibus cutis in organum centrale translatis remanebit, verum etiam aliud damnum huic accedet. Organa enim subcutanea cutis efficacia sublata praesidio usitato paene prorsus orbantur ideoque frigus externum multo facilius admittunt. Tum fibrae nervorum harum texturarum sensibiles et ipsae irritationem quam suscipiunt inusitatam in organum centrale transferent. Itaque quum iam primo illo ictu e nervis cerebri profecto ita percutiatur, ut vulnerabilitas existat, altero impulsu nervorum organorum subcutaneorum vulnerabilitatem ad summum gradum perduci necesse est. Hac enim re magnum illud stratum organi centralis, ex quo nervi cutis atque organorum subcutaneorum oriuntur, in statum hyperaesthеseos transducitur. Unde apparet, malum hoc revera in cerebro nasci. Nec alienum esse a rheumatismo elementum quoddam neuralgicum, quis est, quin perspiciat? Tamen neuralgia et

rheumatismus pluribus rebus inter se differunt. Neuralgia enim eo cernitur, ut aut in nervi alicuius sensitivi cursu aut in cerebro ipso impedimentum extiterit mechanicum, quo nervi premuntur; dolores tali modo effecti ab aegroto, ut volunt leges perceptionis periphericae, in fines nervorum transferuntur. Hyperaesthesi partis alicuius cerebri vis perceptionis non modo augetur et acuitur, sed non raro etiam imminuitur atque attenuatur. Caussis quibusdam interdum exiguis irritabilitas illa, a qua hyperaesthesis profecta est, in ipsum affectum transire potest; qui ubi at eum gradum pervenit, qui efficaciae functionis cerebri repugnat, in iis locis, in quibus fibrae nervorum sunt collocatae, organa subcutanea, quibus status hyperaestheseos procreatus est, si quid aegrotorum sensui tribuimus, doloribus afficiuntur.

Rheumatismum ergo ex iis, quae supra sunt dicta, morbum vel affectum esse organi centralis liquet inde profectum, quod cutis munere suo non satis fungitur ideoque organa subcutanea tutela indigent solita.

Sed iam transeamus ad pergnoscendas leges, ex quibus pendeat rheumatismi gradus quodque organi centralis hyperaesthesis in totum corpus valeat, perlustremus.

Iam primum, quo magis temperatione corpus humanum ab aere differat, eo magis affici cerebrum, rei ipsius natura perspicuum praeceptisque atque experimentis quum physiologicis tum physicalibus insuper illustratur atque confirmatur. Deinde corpore calefacto frigus, quo celerius admittitur, eo maiorem habebit vim, eoque magis nocebit, quo maius corporis spatium attigit. Plus etiam tum frigus valere, ubi corpori per quietem, quam inter motionem, admittatur, quis est, quin videat? Corpus enim si quid ex frigore iniuriae ceperit, commotionibus intentioribus ac vehementioribus ab morbo posse inhiberi, ex usu quotidiano nemo nescit.

Tum vero aer novus semper affluens mali illius vim solet acuere et adaugere, cum aer per quietem paullatim calefactus minus habeat noxae. Quo autem maior aeris mador extiterit, eo acrior affectus est pathologicus, ita ut Chomelius in terris, quarum humida natura est, ceteris paribus, multo saepius inveniri, quam in aridis contendat; quod quidem ipsum in aedificiorum comparatione, quorum alia sint humida, alia arida, intelligi possit. Ceterum si, quae hic singulatim retuli, vel universa vel plura in hominem cadant eundem, tum maiorem quoque fore affectum facile intelligas.

Praecipua autem quaedam attrahendi rheumatismum vis est posita in unius cuiusque corporis natura atque indole. Non certe hoc quidem contenderim, homines corporis debilis atque infirmi ad hoc malum esse procliviores. Nam si morbo vel affectu quodam acriori membrum aliquod debilitatum fuerit, omnis morbus, qui corpori advehitur, in hoc praecipue membro vel organo insidebit, et aer subito refrigeratus non ipsum rheumatismum afferet, sed partem iam antea aegram magis etiam vexabit. Quod quidem non semper inveniri observationes plurimae Naumannii[1]) praeceptoris de me meritissimi docuerunt. Plerumque enim gravissimas rheumatismum molestias hominibus afferre videmus, qui sunt constantis aetatis, ut paene omnium, qui de hac re scripserunt, testimoniis probatur[1]). Si Toddius infantes praesertim subnoxios esse huic malo contendit, non alio modo hoc habet explicationem, quam quod huius mali naturam atque originem prorsus aliam esse arbitratur. Quod autem et iuventus et aetas constans hoc malo quam maxime cruciatur, hoc ea re videtur effici, quod tum omnia membra et organa

---

[1]) Naumann op. c. Bd. p. 28.

[2]) Chomel l. c. p. 307. — Todd, l. c. pag. 65. Thomas Cox, § 4 pag. 170. — Eisenmann l. c. pag. 18.

sana sunt et firma ideoque nullum est, quod suscipiendo illi malis ceteris sit aptior. Aetate autem puerili organa laterum et tractus intestinorum, quia sunt loci minoris resistentiae, morbo quocunque facile corripiuntur. Senectutis omnia membra ob vires vitales paene prorsus infractas tam sunt infirma, ut singula statum referant pathologicum quendam et noxas toti corporis organismo intentas in se suscipiant.

Ceterum rheumatismus hisce de causis facilius in corpore humano existit:

Primum ubi musculorum defatigatio usque ad lassitudinem exstitit, omnes auctores et experientia quotidiana facilius innasci hoc malum ostenderunt. Id quomodo explices non valde haerendum: ea enim ubi evasit, nervorum vis in cutem musculosque admodum est comminuta; quam ad rheumatismum dispositionem esse plane vulgarem, supra ostendimus. Et maxime equidem Naumannii de ortu rheumatismi sententiam inde posse confirmari puto. Laesionibus exterioribus, ut sunt fracturae, luxationes, contusiones, aliae dispositionem rheumatismi quam maxime augeri observationes plurimae docuerunt. Tum vero eisdem causis, quae corpus reddunt infirmius, rheumatismus videtur allici, ut sunt sanguinis effusio copiosior, morbus gravis nuper superatus etc. Chomelius repperit, qui quod in venere intemperantior esset, rheumatismo vexabatur. [1]) Huius autem impetu qui semel laboravit, verendum est, ne iterum ac rursus semper in eundem incidat. Quod quum ab omnibus paene auctoribus confirmetur, satis mirum videtur, quod dicit van Swieten: [2]) „Plurimos novi, qui tantum semel in vita rheumatismum passi sunt.“ Verum hoc adiicit: „Licet satis acrem, quo prudentiores facti, cavebant frequentissimam

---

[1]) Chomel, l. c. pag. 81

[2]) van Swieten, c. l. p. 384

huius morbi caussam, subito admissum frigus calefacto corpori." Qua in re hoc maxime videtur commemoratione dignum, quod malo reiterato, una eademque corporis pars doloribus illis afficitur, quod quidem maxime ex cordis affectionibus, de quibus infra mihi decendum erit, intelligetur. Hoc malo sexus virilis an muliebris magis laboret, vetus inter viros doctos dissensio ac disputatio est, nullam aliam credo ob caussam, quam quod Aretaeus viros illi magis esse subnoxios dixit. Quod quidem verum esse, experientia ususque quotidianus satis aperte ostendit, nec caussas huiusce rei multo opus est labore investigare, ita ut van Swieten [1]) recte iudicasse videatur, cum dicat: „Viri duris laboribus, aëris iniuriis, itineribus, belli calamitatibus, victui inordinato magis exponuntur, quam mulieres; hinc minime mirum est, quod talibus morbis corripiantur frequentius quam mulieres, nisi illae, ut Seneca dicit, beneficium sexus vitiis perdiderunt et quia foeminam exuerunt, damnatae sunt morbis virilibus." Quem locum nostris quoque temporibus aptum esse arbitror. Ceterum in mulieribus ad ortum rheumatismi tempus catameniorum et quod post partum proxime insequitur, quam maxime esse pronum, non est, cur mireris.

Quum quaeritur, quo potissimum anni tempore rheumatismus exoriatur, ver atque auctumnus inprimis nominanda erunt, ut omnium, quicunque huic rei observandae operam dederunt, unanimis est opinio. Nam neque hieme asperrima neque summa aestate tam multa sunt, quae ad morbi huius ortum valeant, quam illis temporibus. Hieme enim vestitu et habitationibus ab iniuriis temperationis mutatae satis arcemur, aestate vero temperatura aeris ipsa plerumque aequalis est, nec nisi aura subito tempestate aliqua refrigerata causa rheumatismi externa subest. At vere et auctumno

---

[1]) van Swieten, l. c. p. 370.

dies serenos atque calidos vel etiam fervidos vesperi sequi solent frigidi et madidi, neque igitur quae vestes in diem sunt idenaae, eaedem vespero quoque accomodatae sunt. Itaque van Swieten iure ait: „Mane et vespero, frigus saepe adest, quod toties laedit incautos, qui diurni caloris impatientes corpus non satis tegunt vestibus." Ad hoc haud parvum quoque id conferat, qnod iisdem anni temporibus in nostra quidem terra ventus aquilo acer atque penetrans, vel austroafricus humidus sunt creberrimi. Hisce igitur condicionibus rheumatismum admodum percrebuisse, quis est qui miretur? [1]) Eos vero de hac re prorsus falsa sentire arbitror, qui esse epidemiam rheumaticam existiment. Nam quamvis temperatio aeris oriundis morbis rheumaticis forte sit aptissima, tamen ut adversus eam se tueatur, facultas deest nemini, id quod in morbis, qui re vera sunt epidemici, fieri nequit.

Quodsi recentiore aetate quidam ipsi geographiae disciplinae in morbis rheumaticis inquirendis investigandisque rationem habendam esse opinati sunt, hoc tantam dicam, rheumatismum iis locis, quibus caussae illae huic morbo efficiendo maxime idoneae, quas supra commemoravi, exstant, utique magis pervulgatum esse oportere, quam eis, in quibus minorem illae vim exerceant.

Reliquum est, ut eos status examinemus, quos hyperaesthesim cerebri antea descriptam in toto corpore reliquo sequi necesse est; cui tamen contemplationi pauca mihi praemittenda videntur.

Intelligitur enim ex morbi huius genesi ac praecipue ex causis postremo commemoratis, rheumatismi genera ac

---

[1]) Chomel, pag. 176.
Eisenmann p. 24.

[2]) van Swieten, l. c. pag. 371.

gradus esse diversissima maximeque varia. Inter formas rheumatismi hasce varias nullam esse crebriorem, nullam graviorem, quam eam, qua articulationes afficiuntur, satis apertum est, quippe quum nervi ligamentorum capsularumque praesidio multo infirmiori tegantur, quam nervi musculares. Quod attinet ad rheumatismi extensionem, gradus eum habere diversissimos atque inter se quam plurimum distantes, pro iis quas supra posui legibus universalibus dubitari nullo modo potest. Quanti enim intersunt gradus inter eum morbum rheumaticum, quo corpus nonnihil calefactum, non tamen defatigatum, frigore modico nonnulla tantum ex parte afficitur, atque eum, quo frigus magnum corpus percalefactum atque laboribus fessum invadit. Huius alterius morbi rheumatici Beauregard exemplum attulit, quo cerebri affectio pathologica tam magna fuit, ut extemplo tetanus erumperet. [1]) Omnes igitur status pathologici, qui inter gradus hos extremos intercedunt, pertinent ad rheumatismum. Neque vero pro variis his gradibus rheumatismum distingui voluerunt, verum pro iis partibus corporis, in quibus morbus imprimis in oculos incurrit, ideoque prout musculi vel articulationes praesertim eo affecta sunt, inter rheumatismum articulationis musculorumque discrimen facere solent, quamquam has formas puras separatasque numquam inveniri arbitror. Rheumatismum vero articularem quod aliam putant universalem, alium, quo una tantum vel plures articulationes afficiuntur, sane intellegetis. Est aliud quoque rheumatismi genus quoddam singulare, quo, dum partes aegrae symptomata morbi gerant minus conspicua, valetudo inprimis universalis admodum conturbatur; huic rheumatismi speciei febri rheumaticae nomen recte in-

---

[1]) Eisenmann, l. c. pag. 35.

ditum. Qui status quomodo nascatur, in libro Naumannii[1]) antea laudato summa cum sagacitate expositum est. Hunc ut conferas atque accuratius perlegas eo magis operae pretinm erit, quum auctor eo ipso loco de ortu exsudatorum inflammabilium, quibus omnino ad pathogenesim plurimum esse momenti constat, nonnulla aptissime atque acutissime disseruit.

Iam igitur brevi status ipsos consideremus, qui hyperaesthesi cerebri in toto corpore efficiuntur. Qua in re rationem sequar nutritionis assimilationisque qualem Naumannius proposuit. In his statibus symptomata rheumatismo propria cerni, iam intelligetis, quae nulla alia re inter se differunt, nisi copia maiore vel minore, id quod ex vi pathologica plus minusve valida pendere constat.

Ac primum quidem organum centrale quodammodo irritatur, quo efficitur, ut aegrotus, magnam animi suscipiat demissionem et veluti anxietatem quandam ideoque morosus atque maestus esse soleat. Tum corpori non iam cute satis munito eadem ad frigus ratio sit necesse est, quae thermometro subtilissimo. Itaque aegroti sudore madentes ne lenissimam quidem inter loquendum aeris percussionem patiuntur, ut accepi a medico quodam, qui ipse rheumatismo gravissimo laboraverat. Deinde cerebri hyperaesthesim vehementiores sequuntur in organis subcutaneis dolores ex caussa plerumque profecti levissima, praecipue vero in eis articulationibus, quae sub ipsa cute iacent. Hi dolores admodum variantur atque ab alia articulatione in aliam transeunt, cuius rei caussa inde deducenda est, quod ex centro nervorum pendent. Quibus quum functio aliqua peripherica accedit, fieri potest, ut permanebat atque certo loco insistat. Ce-

---

[1]) Cf. Naumann, l. c. p. 68.

rebrum denique ipsum, quominus officio suo in partes aegras fungatur, prohibetur. Innervatio difficilor evasit, eoque substantia fibrina in liquore intercellulari augetur. Sanguis in vasa capillaria recedens copiosior est cruore cursuque lentiore fertur. Tamen de caussis quibusdam stasis exoriri nequit, quumque non sit certus morbo locus, non nisi raro hyperinosis magna apparebit. Quum substantiae fibrinae in liquore intercellulari accumulatione, tum sanguinis cursu lento nonnumquam efficitur, ut pars aliqua rheumatismo affecta intumescat, cute irritabili nitente atque rubescente, temperatione aucta. Hoc spectabat, quod naturam rheumatismi in inflammatione ponendam esse nonnulli existimavere, licet signa inflammationi propria, stasim scilicet et exsudationem in texturam circa iacentem illi deesse, unumquemque perspicere putem. Nasci quidem inflammatio potest; tum vero symptomata prorsus alia erunt conspicua atque in rheumatismo. Haec inprimis eo consistunt, ut dolor constans atque in certum locum fixus existat febrisque omnem inflammationem secuta symptomatica aegrotum invadat. Opinioni illi, qua credunt rheumatismum esse inflammationem, quum alia tum hoc praecipue repugnat, quod non solum stasis atque exsudatio non appareat, verum etiam plerumque in doloribus etiam vehementissimis tumor, calor, rubor desunt. Tumoribus [1]) hisce, quoram pressura dolores peripherici tenentur, haud raro ea est vis, ut functioni organi centralis temperent eoque dolores rheumaticos minuant [2]). Quum vero rheumatismus non eodem quo inflammatio evenire soleat, plures eo adducti sunt ut rheumatismum singulare quoddam inflammatonis genus putent. Quam sententiam ineptam notasse satis erit.

---

[1]) Cf. v. Swieten l. c. p. 383 u. 88.

[2]) Cf. v. Swieten, l. c. p. 383. — Thomas Con § 3.

Quum multa iam habeam, de quibus ab hoc loco non aliena sit disputatio, ut de cordis inter rheumatismum articularem acutum affectionibus et de anatomia pathologica, quaeque et ipsa sententiam a Naumannio propositam comprobatura esse atque confirmatura haud dubitaverim, ex longiore iam temporis spatio morbo inflictatus graviori, ut hanc idsceptationem meam ad finem perducam, coactus sum. At non possum preetermittere, quin in conclusione eius atque exitu viro illustri ac praeceptori de me meritissimo Naumannio pro multis benevolentiae erga me eximiae signis gratum animum tester; quem semper me esse conservaturum sibi persuasum babeat.

VITA.

Natus sum ***Eduardus Gerhardus van Ackeren*** in pago Mehr die XI mensis Octobris anno MDCCCXXXV patre ***Ioanne Theodoro,*** matre ***Maria*** e gente ***Berns,*** quos parentes carissimos superstites adhuc pio gratoque animo veneror. Fidem confiteor catholicam.

Primis litterarum elementis imbutus per tres annos in sede litterarum „Rolduc“ artibus ingenuis operam dedi. Anno MDCCCL Gymnasium Cliviense adii, quod quum per sex annos frequentassem testimonio maturitatis munitus reliqui, ut ad almam litterarum sedem Bonnensem migrarem artique medicae me traderem.

A rectore magnifico ***Deiters*** in civium academicorum numerum receptus apud ***Kilian*** gratiosi ordinis medicorum prodecanum spectatissimum nomen professus sum.

Per quadriennium operam dedi his viris: ***G. Bischof, Boecker, Busch, van Calker, Helmholtz, Kilian, de Lavalette St. George, Naumann, Noeggerath, Pflüger, Plücker, Schaafhausen, Schulze, Treviranus, Troschel, M. J. Weber, C. O. Weber, Wutzer.***

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias habeo quam maximas semperque habebo.